moyses in testamento illis. Nota quod legit in Leuit. 14. quod leprosus
pro emundatione sua ad minus offerebat quadruplex munus. viz agnum
vnum et olei sextarium et duos turtures aut duos pullos columbarum et
decimam simile oleate in sacrificium. Per agnum qui pro delicto immo
latur intelligitur carnis maceratio que maxime fit per ieiunium et cilicium
Per olei sextarium figuratur elemosinarum largitio que ad modum
olei miserias egenorum leuit. et hec maxime consistit in illis sex de qui-
bus dominus loquitur Math. 25. Esuriui et dedistis mihi manducare. si
tiui etc. Per par turturum aut duos pullos columbarum significatur ge
mebunda et lacrimosa oratio. Debet enim penitens deinceps ad simi
litudinem turturum figure strepitus huius mundi. Debet etiam tanquam
gementes columbe super aquarum i. lacrimarum fluuium residere. Per decimam
simile oleate notatur hilaris adimpletio mandatorum dei Sicut enim
ex simila panis conficitur qui cor hominis confirmat. ita et per adimple
tionem decem mandatorum dei anima confirmatur vt perueniat ad regnum dei
Quod autem penitens deinceps hilariter adimplere debeat que trasgressus
est. primo per hoc haberi potest quod simila oleo conspersa debebat of-
ferri. Rogate ergo dominum vt per eius gratiam a peccatis emundati ad
electorum consortium pertingere mereamur. Quod nobis etc.

## Dominica quintadecima Sermo. lxix.

Nemo potest duobus dominis seruire Math. 6. Thematis verba Cri
sostimus exponit ac declarat dicens Duos dicit qui contraria iniungunt
concordia enim multos vnum facit. mammona sermone siriaco diuitie
nuncupantur. Bene ergo inquit beatus Hiero. Audiat hec auarus
qui censetur vocabulo xpianus non posse se simul deo diuitiisque seruire
Attendamus hominem diuitem epulonem qui hic diuitiis seruiuit. splen
dide vixit. deum in paupere mendico lazaro despexit. quid mercedis acce
pit patet Luc. 16. quod post mortem in inferno sepultus guttam aque petiit et
sibi denegata fuit. Ex hoc clare patet veritas verborum dicentium Nemo.

Nemo potest duobus dominis seruire. Mat. 6. Quatuor sunt
hic notanda. Primum est quis sit dominus cui ab vniuersis est 1
fideliter seruiendum Secundum est quis sit ille cuius seruicium ab 2
omnibus est fugiendum. Tercium est in quibus potissimum dei seruitus 3
consistere videatur. Quartum est quare quilibet xpo seruire teneatur. 4
De primo nota quod ille est dominus cui seruire debemus quem
adorant dominationes tremunt potestates viz xpus dominus deus noster
De isto domino scribit Paulus ad Thi. 1. 6. Qui est rex regum et dominus do
minantium qui solus habet immortalitatem et lucem habitat inacces-
sibilem. De isto etiam domino scribit Johannes in Apoc. 19. Qui vidit
equum album et qui sedebat super eum vocabatur fidelis et verax et

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iii-184/0439
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG